55151
29

TENTAMEN MEDICUM

DE PHTHISI PULMONALI,

QUOD, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Ludoviceo Medico Monſpelienſi, publicis ſubjicit diſputationibus, Auctor, LEONARDUS DUBUT, è loco Sancti Petri de Colle, Diœceſis Petrocorenſis, natus apud Populum Franciſcum bis redemptum, liberalium artium Magiſter & jam-dudùm Medicinæ Alumnus, pro trimeſtri januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Pulmones ſunt etiam preſidenti neceſſarii quam eloquentia.

NATIONI,
LEGI,
REGI.

MONSPELII,
Apud JOSEPHUM-FRANCISCUM TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographum, & Bibliopolam.

M. DCC. XCI.

PARENTI OPTIMO

ET VENERANDO AMICO

DUCHASSAING,

CAUSARUM PATRONUS, ET ELECTOR DU DÉPARTEMENT DE LA DORDOGNE, MUNICIPALITATIS DE NONTRON;

In æternum gratitudinis & amoris monumentum, has ſui laboris primitias,

Dat, dedicat, vovet;

LEONARDUS DUBUT.

TENTAMEN MEDICUM,

DE

PHTHISI PULMONALI.

I.

LICET phthiſeos nomen generaliter omnem corporis conſumptionem ſignificet, propriè tamen & ſpecialiter pro ea corporis extenuatione uſurpatur, ab ulcere pulmonum oritur. Phthiſim itaque ſic conſideratam cum cucleno materiæ purulentæ expectorationem, tuſſi & febre lentâ ſtipatam vocabimus.

II.

Ubi incipit hic morbus, obſcurè aliqua pars pectoris dolet frequens eſt tuſſis, ſputum ſordidum & purulentum redditur, tunc caput extenuari incipit, aſſiduâque atque hæcticâ febre afficitur æger, quæ ſumptis epulis & per noctem præprimis invaleſcit, vehementibus tuſſibus, ira vel adveniente nimio labore, ſanguis purus ſputo immixtus excreatur. Ubi

creſcit malum perniciemque propinquam minatur ſummum urget cibi faſtidium, creſcit potionis deſiderium, oculi concavi fiunt nares acutæ, temporaque collabuntur ſcapulæ foras veluti aliæ prominent, pus fœtet ſudores noctu profusè manant, curvi pallidique ungues fiunt capilli excidunt, profluit alvus, pedes intumeſcunt, pars ſubindè putrefacti pulmonis per ſputum exit, ſputum tandem ſupprimitur, ægerque perit.

I I I.

Non raro fit ut catarrho pertinaci ſæviente, materiem puri ſimilem exercet, febreque tentetur æger. Tunc inter ſe catarrhus & phthiſis confundi poterunt errorem vitandi modum præter alios nos docet *Cullenius*. 1°. Quippè in catarrho materies quæ excreatus eſt pellucida, pus verò opacum. 2°. Catarrhoſa materies eſt mucoſa, livida, nullam cohærentiam, nullam tenacitatem in phthiſi præbent excreta. 3°. Muci nullus puris ſenſibilis feror. 4°. Pus aquæ fundum petit mucus ipſius ſuperficiem. 5°. *Caroli Darvini* conſtat experimentis pus & mucum in alkalino ſale vegetabili, tum acido vitrioli diſſolvi & ſi unicuique harum diſſolutionem aqua ſuper addatur, pus præcipitari, mucum verò innatare liquido. 6°. Tandem febris natura non eadèm : in catarrho exacerbationibus admodum regularibus non ſtipatur febris : phthiſi exacerbationes regulares à frigore habent exordium quæ catarrhum comitatur non citam æquè ægro offert extenuationem, ac phthiſicorum febris. Hic ſimul penſitatis emerget horumque affectum diſtinctio.

Ab aſthmate facilè ſeparatus phthiſes major anhelatio quippè in illo quàm in iſo affectu febris nulla; vel inconſtans, vel irregularibus exacerbationibus ſtipata in aſthmate. Phthiſicorum lenta, continua regulariter exacerbans; mucoſa materies in aſthmate excreata, purulenta in tabe.

I V.

A parentibus ad progeniem propageri phthiſim innumeris probatum videtur obſervationibus hanc eſſe hæreditariam tabem agnoverunt antiqui; apud plutarchium legitur illos tabe aut aquâ inter cutem extinctorum cadavera, dum cumburerentur, curaſſe ut nati ſedentes pedes demitte-

rent in aquâ; hinc effici credebant ut morbus ad prolem non propagarentur. Num ſit contagioſus hic morbus non iidem conſentiunt autores *Riverius*, *Klein*, aliique, quam plurimi affirmant, aliter omnino ſentiunt *Meadius*, *Trallianus*, &c. &c. Inciſoresque multos non infeliciter cadavera tabidorum aperire auſos fuiſſe, nemo eſt qui neſciat; hanc non tentabimus componere litem. Non prudenter ſe gerere qui tabe extinctæ indueret veſtes, vel ipſius cubili recumberet &c., antequam rite mundata fuiſſent omnia, hîc annotaſſe erit ſatis.

V.

His eſt hæc metuenda labes quies pectus anterius anguſtum collumque & eſcapulæ prominent & quorum genæ roſeo floreſcunt colore. Tabus maximè fit anno decimo octavo ad uſque trigeſimum quintum. Notante *Hippocrate*, ut & ætati juvenili, ita regionibus nonnullis proprius perti- nere videtur. In maritimis gollo provinciæ plagis tanquam indemnitas habenda eſt. Si fides *Kleinio* duæ aliæ morbo chronico extinctorum partes, phthiſi ſuccumbunt. In diſſertatione nurrembergenſium litteratorum legitur phthiſicorum totium levius quàm inſanis & alio morbo afflictis reperiri.

V I.

Phthiſis alius affectus numquàm non eſt ſoboles hemophthiſi à causâ ſeu interna ſeu externa oriunda, morbis pectoris inflammatoriis, purulentæ congeſtioni, catarrho, aſthmati, tuberculis ſuccedit. Hanc ad labem mediantibus prædictis morbis, evacuationes ſuppreſſæ, &c. &c. pellere poſſunt phthiſi obnoxios eſſe qui aërem pulvere coinquinatum ſæpiùs inſpirant ut piſtrinarios, pictores lapicidas, &c, , obſervatione conſtat *Ramazzini*, *Morgagni*, &c. &c. ; huic etiam diſponunt potuum ardentium abuſus, venus immodica, &c. &c. cuinam ſucceſſerit morbo ægri relatione facilè percipitur ſi tuſſis ſit ſerùx ſi poſt immanes conatus materies pauca, mucoſo purulenta, quandoque ſanguinis ſtriis immixta excretus, febriſque modò intenſa, modo mitior ſit, tabem à tuberculis ſuſpicare potius in primis ſi antea tuſſicula perdiù laboraverit tempera mentoque non ſanguineo donetur æger.

V I I.

In primo ſtadio curatu difficilis eſt phthiſis, in ſecundo difficillima, in tertio conclamatum eſt. Hæreditaria acquiſita difficilius diſſipatur fiſtuloſo forſan facto ulcere & calloſo, tubidi diu vitam protrahere viſi ſunt. Perniciosa tabidis ver & automnus. Quæ ab hemophthiſi à cauſa interna oriunda difficilius ſanantur quàm quæ à catameniis ſuppreſſis vel, vel ab humore retropulſo &c., habuit exordium, ſi vires valeant, febris & tuſſis non ſæviant, vigeat appetitus, ſomno non orbetus ægrotans, non nihil ſuper eſt ſpei. Si tabidibus difficulter ſpiret, inſomnia, febris & tuſſis illum divexent, res ſunt in lubrico advenientibus ſudoribus profuſioribus, diarræa pertinaci, cerinis immodicè fluentibus, deciduis capillis tumidis cruribus, facieque adveniente *Hippocratica*, mors oſtia pulſat.

V I I I.

Pulmones partibus circum jacentibus adnatos ut & bronchiorum, laryngis & tracheæ ulcera phthiſicorum cadavera videnda præbuere puris collectiones, tumores anomali, ſquirrhoidei concretiones quæ cretaceæ in pectore occurrunt ulcera fiſtuloſa, phagedenica nonnumquam hoc viſeus depaſcuntur. Pulmonis deſtructe loco, ſanieſque & pus inventa ſunt quinimò cor ulceroſum, thimus & mediaſtinum ſanie taboque fluentia obſervata fuiſſe narrat lientadius tuberculis ſcatet pulmo tam frequenter, ut *Pringlius* tubercnla cum ulceribus conjuncta in tabidorum pulmonibns ſemper inveniſſe ferat. Tubercula autem à *Staſkio* primum ritè perpenſa, ſunt corpora dura in textu cellulari pulmonum obſervanda magnitudine inter ſe diſcrepant : hæc ſemi pollicis diametro donantur, iſta granum frumenti adæquantia racematim locunt. Tuberculorum color albus, durities ipſis cartilaginea, minora ſemper ſolida, majora nunc intùs levia nullam exhibent cavitatem nunc cellulis donantur humore purulento turgidis civitates minores exactê clauſæ ſunt majores in tracheam hiant.

I X.

Phthiſis therapeia alia prophilactica; alia curatoria prophilaxis in ea

conſiſtit, ut brevi omnia fugentur quæ huic morbo anſam præbere poſſunt. Si itaque hemophthiſis ſuperveniat ſanguinis miſſione temperanitbus diæta congruenti & recto ſex rerum non naturalium uſu erit diſſipanda & præcavendus ipſius regreſſus ſi à catarrho contumaci imminent, demulcentibus ſanguinis miſſionem quàm utiliſſimam tunc temporis expertus eſt *Pringlius*, diaphoreticis, cauterio veſicantibus aliiſque ejuſmodi medicamentis pro ægri temperamento aliiſque circumſtantiis adhibitis fugandus erit morbus ſi ab evacuationibus ſuppreſſis vel ab humore retropulſo, afficiatur pectus, ſolitis mediis ad conſueta loca pellendus fluxus ſuppreſſus, & revocanda materies retropulſa, &c.

Venerea lues ſcorbutica, &c. affecto ſi ſupperveniat pectoris dolor, anhelatio, tuſſis, &c. in deſtruendo affectu, primario abſque morâ erit incumbendum, &c.

Quando autem curanda venit phthiſis, perpendendum eſt à causâ evidenti ut humore retropulſo evacuationibus ſuppreſſis, lue venereâ, fiat. Tunc curandum erit ut revocetur materies devia ad conſueta loca fugetur lues, ut in prophilaxi expoſitum fuit. Si verò debilitato vaſorum pulmonalium tono, vel rarefacto, vel degenere ſanguine, hemophthiſi ſucceſſerit tabes cùm primum adhibenda venit phlebotomia, quàm apprimè laudat *Hippocrates*. His confert, inquit, ſi circà exordia curandos ſuſceperis, ut manuum venæ ſanguinem emittant *Riverius*, *Mortonus*, *Meadius*, huic auxilio incumbendum declarant; huic etiam adeo confidit *Pringlius*, ut non modo inchoante, ſed etiam jàm provecto morbo illud adhibere non dubitet. Attamen, ut optime ipſiſſimus *Pringlius* cavendum-ne nimis frequenter & indebilitatis præſertim uſurpetur hoc remedium; quantum enim prodeſſe poſſunt venæ-ſectiones ritè adminiſtratæ, tantum periculoſus eſt illarum abuſus.

In hoc primo ſtadio, emetica etiam à nonnullis commendatur *Mortonus* æpiſſimè phthiſeos incipientis progreſſum brevi temporis ſpatio ſe præpediviſſe aſſerit. Verùm hæc medicatio quæ utilior ratione laxitatis ventriculi, oleoſis potionibus allatæ, quam morbi naturâ *Ptinglium* viſa eſt causè, admodum in medium revocanda. Si autem in appetentiâ & ſignis cachochiu liam indicantibus utilè vomitorium cenſeatur, mitus eſt anteponendum. Idem de purgantibus à *Tralliano*, *Mortono*, aliiſque laudatis eſto judicium cathar-

tico exhibito, narcoticum ferro propinandum, non ut indè juxtà *Sydenhami* mentem compeſcuntur carthartico allatæ turbatæ verum etiam, ut optimè notat *Mortonus* ad pellendum ad cutem, novum influxum ſeri cathartoſi in pulmones ab hâc vehementi partium agitatione ſuboriri ſolitum ſudorifera à *Benedicto Salio* diverſo *Marcello Donato* cauteria, ſetacea veſicantia à *Pringlio* in hoc morbi ſtadio laudata, quandò phthiſis à catharro, vel ab humore retropulſo orta fuit, utilia tantum modò fore cenſemus. Sed ad debellandum hunc affectum maximè confert diæta tenuis demulcens vegetabilis & lactea præprimis vix credi poteſt, inquit *Trallianus*, quantùm victus tenuis & demulcens efficere queat ad morbum etiam inſanabilem, tolerabilem reddendum, & ad tuſſis ipſi junctam mitigandam lac mira in hoc morbo etiam præſtare viſus eſt. *Wepferus* divinum aliquid in lacte hærere contendit hujus uſu aliquos reſtitutos vidit tabidos *Platerus*, vidit *Riverius*, viderunt omnes cùm autem ſint quam plurimæ lactis ſpecies, quænam ſit anteponenda perpendere non abs re erit. Lac fæmineum omnibus præſtare cenſetur, neque hæc improbabilis videtur ſententia, cùm naturæ noſtræ proprius ſit huic etiam favet inter alias obſervatio *Platere*, qui phthiſicum non modo inde convaluiſſe, ſed etiam tantas vires recepiſſe, ut ne lac in poſterum deficeret nutricem de novo impregnaſſe narrat. Sed quia multi ab eo lacte abhorrent, uſitatum eſt aſinum, quod quia valdè ſeroſum eſt, vaſa facilè penetrat ulcuſque detergit. Huic verò ſuccedit caprillum.

Multa etiam ab exercitio ſpectari poterunt quod modo moderatum ſit, & in aëre puro, tanquàm hujuſque morbi ſpecificum habendum cenſet *Sydenhamus*, ſive equitatione, ſive cùm peragatur his excitationibus navigationem anteponendam *Callenis*.

Si propter ægri incuriam, vel irritâ rectâ remediorum exhibitione progrediatur morbus, humores nocturnis difflentur ſudoribus, magis ſæviant tuſſis & febris magiſque debilitetur æger, tunc alia venient conjungenda ad coercendos ſudores juvat cubiculum ægri aurâ frigidiuſculâ afflari & lecti ſtragula imminui. *Pringlius* aquâ calcis, cujus libram unam lacti immixtam, quotidie haurit æger, hos compeſcere ſudores nos docuit. Hâc uſus *Trallius* in phthiſi deſperatâ, illi non defuit effectus. Ad febris tunc magis ſævientis exacerbationes compeſcendas, iterum ſanguinis miſſiones utiles ſe expertum ſui affirmat *Pringlius*, ſed antequàm id auxilii uſurpetur, perpendendum an in illo ſuſtinendo non ſit impar tabidus.

Corticem peruvianum in hunc finem alioſque, laudant *Mortonus*, *Barthez* aliique quam plurimi; cortice quem tunc adhibere nou auſus eſt *Pringlius*, imminui ſudores & febrim paululùm poſſe nil eſt dubii, ſed indè certè non adveniet ulceris cicatrix.

Quæ tuſſis ægrum divexat, illum à duplici fonte ortum habere poſſe notat etiam *Pringlius*. Prior ſcilicet ulcerationis eſt productum, altera verò lymphæ ſubtilis in fauces & tracheam muco orbatas depluentis, eſt ſoboles non iis eadem congruit medela illa vegetabilia incidentia, balſamica, aquas minerales thermales, ut bellilucanas, bagkerenſes, aquenſes in Provinciâ Fuxenxi, &c. admittere poteſt. In poſteriori demulcentia opiatuque conducunt deciduis capillis advenienti diarrhæa pertinaci tuſſi immuniter ſæviente extenuato toto corpore, tumidis pedibus ultimus adeſt morbus gradus tunc demulcentibus opiatiſque temperanda tuſſis & conciliandus ſomnus : antiſcepticis adſtringentibus, corruptio ſolidorumque atonia paululum mitigari poterunt.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.